



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 12. Ex veteri, & nouo testamento exempla feminarum Eliséum,  
Christum, & Apostolos curantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

solùm igitur in pauperes iniurijs sunt, qui iussas eleemosynas vel interuertunt, vel diminuunt; sed etiam in proprios dominos noxij. Nam pauperibus simplum, domino centuplum subducunt. O cæca parcitas, quæ nescis seruare pecunias, nisi in proprium damnum!

## §. XII.

*Ex veteri, & nouo testamento exempla feminarum Elisæum, Christum, & Apostolos curantium.*

Mulierum quoque eximia hîc laus est; nam per illas misericors Dominus sæpe egenis præsentî manu adfuit, docuitque diuitias ab illis, non in ornatum capitis, non in armillas & torques, non vestes exoticas, & Phrygia acu elaboratas, sed in egentes atque misericordiæ opera impendendas. Talis erat illa, de qua scriptura ita loquitur: *Transibat Elisæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, qua tenuit eum, ut comederet panem: cumq; frequenter inde transiret, dieret ad eam, ut comederet panem. Qua dixit ad virum suum: Animaduerto, quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & sandals.*

4. Reg. 4.  
8.

T 2

sandals

candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Neque gratis id fecit, pro gratia, gratiam sensit, & quæ sterilis erat, filium acquisiuit. Quàm multæ eiusmodi opulente Iunones prolem optarent, sed pauperes non curant; Elisæos, Prophetas, Religiosos in domum non admittunt. Quare vid cum illis diuinam excludunt benedictionem. Aliæ feminæ etiam foras eunt, ut pauperibus seruiant. Quales fuerunt illæ, de quibus

**Luc. 8. 2.** bus Lucas hæc memorat: *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, predicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo; & mulieres aliqua, quæ erant curata à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem demonia exierant, & Ioanna vxor Chuse procuratoris Herodis, & Susanna, & alie multa, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Consuetudinis Iudaica fuit, ait S. Hieronymus, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atq; vestitum præceptoribus darent. Sed hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiēcisse commemorat. Ministrabant autem hæ mulieres Domino de substantia sua, non quòd indigeret cibus Dominus creaturarum, sed

S. Hieronymus. in cap. 27. Matth.

sed ut typum ostenderet magistrorum, quod vi-  
ctus atq; vestitu de discipulis debeant esse conten-  
ti. Hæc D. Hieronymus. Eamdem causam Theophilus  
indicat Theophylactus his verbis: *Diuites fe-*  
*mina comitabantur Apostolos, ut suppedirent*  
*eis necessaria, omnem illis securitatem horum*  
*caussa parantes, ut soli Euangelij prædicatio-*  
*ni ipsi vacarent.* D. Ambrosius autem etiam  
aliam causam adducens ait: *Scilicet mulieres*  
*opulenta desiderio doctrina Dominica, & vir-*  
*ginitatis, sequebantur Apostolos, & ministrabant*  
*eis & sumtus, & seruitia, sicut & Saluatorem*  
*sunt secuta.* Quid multis opus? Ipse Apo-  
stolus ait: *Numquid non habemus potestatem*  
*mulierem sororem circumducendi, sicut & ce-*  
*teri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?*  
*Aut ego solus, & Barnabas, non habemus pote-*  
*statem hoc operandi?* Habuit sanè Paulus po-  
testatem, sed noluit ea vti, ne Gentiles  
offenderet. Ceterùm planè non exiguum  
opus erat harum matronarum, quæ diui-  
næ sapientiæ audiendæ, & pauperes Apo-  
stolos pascendi causâ tanta itinera, & tot  
incommoda susceperunt. Nunc multæ, ne  
dignantur ad planteas vsque descendere, ut  
Christum in pauperibus suis pascant.

Theophilus  
in 1. Cor.  
9. 5.

S. Ambrosius  
in eamd.  
ep.

1. Cor. 9.  
5.